

Ac. 2250.

DE
NEXU, QUI SENSUI CUM
RATIONE, QUOAD RELI-
GIONEM SPECTANT,
INTERCEDIT.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,
QUAM
IN UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI

AD
VENIAM LEGENDI


RITE ADIPISCENDAM
SCRIPSIT ET PALAM DEFENDET

M. C. Posselt,
PHIL. DR.

1802
Mohr Kab.

DORPATI LIVONORUM,
TYPIS I. C. SCHÜENMANNI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXIII.



CXXIV: 17

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut quum primum ex officina emissa fuerit, quinque ejus exempla collegio libris inspiciendis praeposito tradantur.

Dorpati, d. XXV. m. Octobr. a. MDCCCXXXIII.

D. Frid. Neue,
Decanus.

Πολλῶ τὸ Φρονεῖν εὐδαιμονίας
πρῶτον ὑπάρχει· χρὴ δὲ τὰ γ' ἐκ Θεοῦ
μηδὲν ἀσπετεῖν· μεγάλοι δὲ λόγοι
μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων
ἀποτίσαντες
γῆρα τὸ Φρονεῖν εἰδίδαξαν.

Sophocl. Antig. v. 1327.

*Nemo credit nisi valens. Fide actio et
actione fides nititur.*

AUGUSTINUS.

Natura materialis atque natura intelligens, mutuae inter eas rationes, earumque origo ultima, ex quo homo ad res altiores animum advertit de iisque cogitat, quaestionem ei praebuerunt tam obscuram, quam nunquam solvere possit; atque omnia philosophorum conamina ex antiquissimis temporibus dualismum inter naturam intelligentem et vim inexplicabilem huic naturae intelligenti repugnantem omnibus obstaculum maximum objecisse testantur. Frustra studuerunt hanc repugnantiam tollere sententiis arbitrariis; etenim semper aliquid ignoti atque incerti restabat, quod vel acutissimis ratiocinationibus non potuit ad liquidum perducere. Aliquoties quidem via paene vera inita erat, sed mox, vestigiis veri-

tatis in longum tempus amissis, rursus in labyrinthum atque errores ducti sunt. Difficillimum erat, etiamsi interdum tandem viae idealistica et realistica, quas vulgo dicunt, quibus res considerantur ex una tantum parte, relictæ essent, viam pantheisticam evitare. Nuuquam quidem in religionis campo deerat, quod ad occupandam et obtinendam veram viam impelleret, atque hic illic sensus religiosus in philosophicam agendi rationem vi quadam irrupit, ut hic quoque identidem, substantiales esse Deum mundumque, in memoriam revocaretur. Ita doctrina, quæ primum in Christianismo caractere quodam universali prædita conspicue exstiterat, et genus humanum religioso theismo ac pantheismo, res ex una tantum parte contemplantibus, liberaverat, per gnosticas, scholasticas et mysticas mediae ætatis scholas primam explicationem philosophicam adeptæ est. Quin per eas directa via alveus profundus formatus est, cujus annis in cursu suo ne per loca arenosa quidem philosophiæ seriorum temporum prorsus exarescere poterat, sed potius tunc demum liquatus et intra certas ripas coercitus ad nos usque profluxit. Ratio enim justam, medianam, qua studium illud philosophicum nec prorsus contemnatur, nec nimis aestimetur, invenire, temporibus recentissimis demum datum est. His tandem, bello diuturno cum viribus giganticis gesto, expugnatisque cum desperatione quadam ultimis munitionibus, li-

bertatis signum in philosophiæ regno elatum, atque Deo supra nos et in nobis, omnia, quæ ei debentur, jura tributa sunt. Quæstio de libertate divina atque humana, summa illa totius philosophiæ, nunc rursus sancta cum severitate proposita est, eaque soluta et idealismi et realismi catenæ disruptæ sunt, atque illud obscurum mysteriosumque, intimus quasi nucleus veritatis, accuratius cognitum et intellectum est.

Omnis vitæ fundamento vitam specialem, quæ ipsa non creata, creans in infinita vitæ appareat, niti, argumentum est principale, in quo philosophia et religio cum omnibus suis veris falsisque varietatibus versantur. Hoc autem elementum primitivum, hæc non incepta et infinita vitæ ex quo constet? quomodo in actione sua appareat? num in ea, — ut Kantii verbis utamur — præter spontanæitatem receptivitas etiam adsit, præter agendi vim vis patiendi quoque? — quis ad has aliasque hujus generis quæstiones perfecte ac veritati omnino convenienter respondere poterit? — Homo? animantium in terra viventium fortasse facillime, quoniam in horum animantium serie primus est! sed nonne simul in serie animantium, qui de quæstionibus modo propositis cogitare, ad easque respondere possunt, ad ultimos referendus est? nonne in extremis finibus proprii animorum regni versatur, ergo a centro quasi omnis animorum vitæ longissime abest,

ita ut ei omnia, quae ad animos referenda sunt, in rerum sensibus subjectarum formis jam rudioribus, jam tenuioribus appareant, et apparere debeant, quoniam nisi hoc fieret, ut umbrae inanes et formae expertes, ut nubes nebulosae quovis momento se mutant, sensus ejus internos praetervolarent et dissolverentur. Ipsa ejus lingua quid aliud est nisi thesaurus sive complexus cogitationum in corpus quasi mutatarum? atque ejus sermo? corporatarum ejusmodi cogitationum, e quibus tam facile tugurium, quam templum exstrui potest, compositio secundum regulam aliquam universalem mathematicae et arithmeticae facta. Atque homo istiusmodi, qui ne in rebus terram attinentibus quidem se ipsum plane cognoscere unquam valet, quomodo ipsam universi radicem attingat, quomodo vitam infinitam in vi infinita, atque hanc vim in infinitis efficacitatis suae formis investiget, omniaque in natura sua, quasi denovo, etsi tantummodo in animo, creet, ita ut jam cognosci et intelligi queant in omne tempus et ab omnibus, qui cognoscendi et intelligendi facultate sunt praediti! Homo, qui hoc posset, animans esset hominem longe superans. Sed neque quisquam hoc potuit, neque poterit, quamdiu homines erunt tantum homines; quod nobis historia inde a Mose de mundi creatione philosophante usque ad ultimos temporis nostri philosophos ostendit.

His omnibus perpensis satis perspicuum mihi

videtur esse, neque philosophiam, neque religionem ullam esse ultra humanae intelligentiae fines arcana nobis detegentem, quae ex naturae nostrae institutione arcana nobis adhuc maneant, necesse est. Sapientissime igitur et optime agit, qui, se non demergens in inanes meditationes rerum, quas animo suo assequi non possit, ea solum arripit et amplectitur, quae natura in universum atque ipsius naturae in specie ipsi mirifice revelat, neque has revelationes, quae cunctae naturales et divinae sunt, secundum theoriam a se ipso fictam in classes redigere conatur, quemadmodum secundum eandem theoriam naturae suae facultates et vires ordinavit, ita ut sint revelationes per sensum externum et revelationes per sensum internum, atque utraeque rursus in genera et species devidantur, eoque modo varietas existat, in qua propter nimium ordinem omnia adeo turbata atque ordine destituta sint, ut nemo viribus suis ordinatis eaque ex causa sejunctis ea in unum rursus colligere valeat. Homo in natura sua peculiari, quamvis maximam in eo invenias varietatem, tamen unitas perfectissima est; eademque ratione universalis quoque natura. Quaecumque igitur haec in unitate revelat, ille in unitate excipere debet, etenim non in multitudine vel varietate, sed in unitate posita est vis.

Cuicumque disquisitiones de religione, etiamsi aliquantulum modo, cordi fuerunt, notum est, quae-

stionem, quid sit religionis objectum, non esse difficillimam. Si enim ex omnium gentium omniumque religionis sectarum cognitionibus et persuasionibus religiosis peculiaría et propria sejungimus, omnibus id commune remanet, quod aliud supra sensus positum statuunt. De religione omnino non potest esse sermo, nisi quatenus causam mundi sensibus percipiendi, ejusque phaenomenorum mutationumque in principio quodam extra hunc mundum sensibus subjectum et supra eum posito quaerimus. Hoc ipsum vero homines ad unum omnes faciunt, quos religione imbutos esse dicere possumus; etenim is quoque, qui effigies et simulacra Deorum commenticiorum veneratur, non tam lapidem ante se positum vel rem aliquam aliam, quam potius vim quandam sensibus non subjectam adorat, quam in hac re inesse opinatur. Hoc supra sensus positum, sive Deum, sive fatum, sive animum mundi, sive quocunque alio nomine appellas, commune uniuscujusque religionis objectum est. Ejus relatio quidem aliquid negativi continet, neque tamen aliter quam ut aliquid commune proponi potest; nam in ipso positivo constituendo singularum religionum proprietates et varietas incipit. Id autem tanquam modo, quod commune est, in definitione afferre licet, ut singula quaeque ad eam referri possint.

Multo gravioris momenti et difficilior est multoque plures diversas sententias admittit haec quae-

stio, quid sit elementum religiosum in homine, sive in qua animi humani facultate religionis fundamentum sit positum. Inter omnes constat religionis systemata diversa eo orta esse et quotidie oriri, quod homines jam mentem, jam cor et sensum, jam rationem, jam phantasiam cet. religionis fontem esse crediderint. Si diligenter et accurate nos ipsos contemplabimur atque facta nulli dubio obnoxia simul comparabimus, in quavis harum sententiarum aliquid veri inesse, neque vero ullam per se solam esse veram, facile intelligemus. Vita religiosa saepe debilissima maximeque turbata in iis apparet, quorum cogitandi facultas magnopere est excultata, validissima contra et purissima in aliis, quorum animus in infimo excultionis gradu substitit. Si hominis intelligentia religionis fons esset, contrarium accidere deberet, ita ut philosophus, cujus animus quam maxime excultus est, simul religioni maxime esset deditus, agricola vero rudis ab ea alienissimus. Sed quam saepe experientia contrarium nobis ostendit! Quamdiu igitur hae observationes negari nequeunt, fundamentum religionis etiam in hominis mente et ratione, cum ambae habeantur intelligentiae vires, non potest quaeri. Si contra infantem, in quo nondum ulla animi vis prae caeteris exculta est, vel feminam, in qua sentiendi facultas non raro praevalet, consideramus, facile possemus adduci, ut in eo ipso, quod vulgo cor sive sensum nuncupa-

mus, religiosum hominis elementum inesse opinamur, nisi etiam hic rursus exemplum viri inculti nobis obstaret, quippe qui, quamvis in omnibus caeteris vitae rationibus rudissimum et inhumanissimum se praebeat, saepe tamen religionis sensu quam purissimo atque intimo imbutus sit.

Si jam nos ipsos, quo tempore religione quam maxime affecti nobis videmur, contemplamur, modo dictis respondentia observamus. Saepissime rebus sacris deditus, quae animi mei facultas praecipue moveatur, omnino non possum discernere; alio tempore hoc quidem valeo, sed illa non est semper una eademque facultas. Jam mens et ratio in quietis situ quasi passivo sunt, dum cor religiosis sensibus maxime sublimibus extollitur; jam nullam fere sensus cordisque incitationem animadverto, sed ratio cum summa voluptate religiosa in res supra sensus elatas contemplandas se quodammodo demergit, vel voluntas fortiter intenditur et excitatur, vel phantasia spatia infinita pervolat. In quam ergo harum virium singularum vitae religiosae fundamentum erit investigandum?

Ex altera vero parte rursus profitendum est, nullum singularum illarum facultatum deesse posse, ubi de vita religiosa loquamur. Omnium animalium nobis notorum solus homo ad religionem percipiendam est accommodatus, quoniam intelligens est; sed si intelligentia sola (mente et ratione), nec

vero sensu, voluntate et phantasia esset instructus, vera religionis praecepta quidem disciplinae instar exponere, minime vero vitam religiosam degere posset. Inter facultatem cogitandi et vim sentiendi ea est ratio, ut altera alteram coërceat, ita ut, quo magis alterius robor et potentia minuat et debilitetur, eo magis alterius augeatur et corroboretur. Ut autem vera corporis sanitas singulorum organorum concentu nititur, sic etiam tantummodo is animus, in quo perfectum omnium virium aequilibrium est, sanus potest appellari. Itaque religiosum in homine elementum prorsus non in una quadam animi facultate quaerendum est, sed in his facultatibus universis in unum quasi conjunctis, (vulgo forsitan hoc ita enuntiaretur: in earum universitate).

Psychologia est animi anatomia; sed psychologi, quid sibi faciendum sit, non satis cognitum habent, si anatomicos in eo etiam imitantur, quod animum secundum ipsius vires, agendi rationes, functiones cetera dissecant, disjunctasque partes, ut illi cadaver dissectum, relinquunt, neque eas rursus componunt. Quaevis quasi dissectio animi in singulas vires tantum fingi potest cogitatione menteque; revera ille est aliquid totum, idque indivisum; atque si cogitatione nostra animum in partes distribuimus, hoc eo solum consilio facimus, ut totum, quale sit, eo facilius comprehendere et intelligere possimus. Ut vero animus intus varia ratione in-

citatur, sic etiam extrinsecus variis viis, quid cogitet faciatque, nobis ostendit, i. e. in externis rationibus, relationibus animantem homo se praestat.

Secundum ea, quae adhuc perpendimus et exposuimus, quaestio, quinam nexus intercedat sensui (Gefühl h. l.) cum ratione in religione dijudicanda et adhibenda, saepius quidem jam tractata, nec tamen hucusque satis accurate et definite soluta, argumentum nobis videtur magni certe momenti ac disquisitione dignissimum. Hoc consilio quaestionem, quam illustrare ac solvere conabimur, ita ponimus:

Quatenus sensus in dijudicanda et adhibenda religione tam naturali quam revelata rationem adjuvare vel etiam ejus vicibus fungi potest et debet?

Religionis duplex est notio; partim hoc verbum significat Dei rerumque sensibus non subjectarum cognitionem, partim vero cognitionem conjunctionis nostrae cum Deo rebusque divinis, vel quemadmodum ex iis pendeamus, vel quaenam ratio nobis cum illis intercedat. Nam etiamsi Deus est, nulla tamen exstare potest religio, nisi qua conjunctio nobis sit cum Deo. Notionem vero alteram ab altera in animo ac cogitatione disjungere possumus; atque hanc ob causam in hac disputatione duplici primum absolutam religionis et naturalis et revelatae summam considerabimus; tum vero, quatenus haec summa ad nos pertineat et cum generis hu-

mani rebus conjuncta sit, respiciemus. Disputationis partem priorem theoreticam, posteriorem practicam nominabimus.

Primum igitur videbimus, utrum in quaestione de Deo ac rebus divinis theoretica sensus aliquid valeat, atque, si quid ei tribuendum sit, qualis sit ejus usus? Usus vero duplex esse potest, ita ut sensus vel rationis vicibus fungatur vel rationem adjuvet.

Si quaeritur, num unquam sensus rationis vicibus fungi possit ac debeat, aliis verbis hoc investigatur, num unquam fieri possit, ut sensus nos plura ac certiora de Deo rebusque divinis doceat, quam ratio possit; eo quidem modo, ut in posterum jam non rationem, sed sensum sequi debeamus. Nos quidem hoc nunquam fieri posse putamus. Ad quam sententiam nostram probandam, quam multiplex rationis conjunctio et cum aliis materiis et cum rebus religionem attinentibus esse possit, explicabimus.

Ratio igitur aut judicat, doctrinam aliquam de Deo rebusque divinis vel sibi ipsi vel libris sacris repugnare, aut eandem prorsus non intelligit, aut quamquam non ignorat, eam esse veram, tamen nullam ejus essentiae ac naturae cognitionem perfectam habet; aut eam satis perspectam esse ducit eamque veram esse persuasam sibi habet.

Prima quaestio, num sensus rationi auxilio ve-

nire possit ac debeat, si haec perscrutetur, num doctrina de Deo et rebus divinis contra se ipsam vel contra libros sacros certet, duas alias complectitur; alteram, num sensus contra rationem librosque sacros ita pugnare possit, ut ea, quae ab illis ut vana falsaque rejiciantur, vera esse demonstrare valeat; alteram, num, si hujusmodi discidium oriri possit, sensui plus auctoritatis quam rationi et libris ss. sit tribuendum. Ad has quaestiones respondere non est difficile; nam si priorem spectamus, haud interrogatur, num ratio ac sensus ita inter sese pugnent, ut iis, quae tanquam falsa et ficta repudiet ratio, sensus afficiatur. Quis enim est, cujus adeo durus sit animus, ut Bürgeri Eleonoram legens non corripiatur horrore frigido, quamvis rem ipsam fictam fabulosamque esse non ignoret. Haec enim non est rationis contradictio contra sensus iudicium, sed contra sensus affectionem, quae minime, sensum ea, quibus excitetur, vera quoque putare demonstrat. Id autem fieri posse negamus, ut sensus et rationis iudicia inter se contendere possint. Nam si quaeritur, num (quod ad quaestionem alteram pertinet) sensus excitatio, quae a rationis iudicio discrepare videatur, ejus sententiam subvertere possit, illius affectionis causae explicandae sunt, quae duae esse videntur. Prior est causa, si ratio videatur tantum aliquid improbare, quum tamen dubium quoddam restet. Quod eorum hominum exemplo affirmare

possumus, qui de superstitionis vanitate fortiter loqui solent, ubi tamen versantur in solitudine ac tenebris, horrent ac trepidant. Qui metus haud docet, esse spectra, sed tantum illos homines sibi non satis persuasisse, nunquam visa esse spectra. Si vero ratio aliquid certis argumentis falsum declarat, atque tamen eo sensus excitatur, haec affectio phantasiae tribuenda est; quae est causa altera, cursensus aliqua re, quam ratio falsam ducat, permoveatur. Sensus jam, si talis res, qualis illa Bürgeri fabula, cogitari tantum potest, afficitur; nam si accuratius loquamur, sensum minime re ipsa, sed ejus imagine affici est dicendum. Patet igitur, si sensus a ratione decedat, hoc certamen non id perficere, ut, quae aut sanae rationi aut scripturae s. contradicant, ea ex sensus auctoritate vera habeantur, sed potius illud certamen e causis jam dictis esse derivandum. Si ratio aliquam rem falsam esse plane persuasum habet atque ab illa re ita abhorret, ut nulla phantasia eandem ut verum exhibere (v. c. circulum quadratum) possit, certe nunquam sensus a rationis sententia declinat, i. e. sensus tali re non afficitur, quia ratio rem omnino falsam esse nec veram esse posse iudicat.

Quaestio secunda, num sensus tanti momenti esse possit ac debeat, ut ex ejus auctoritate aliquid, de quo ratio dubitet, accipiendum sit, explicationem non requirit uberiores. Illud enim dubitare seu nescire duplex esse potest, ita ut aut ne notionem

quidem rei alicujus habeamus, aut, si hanc habeamus, num quid exstet, nesciamus, quod huic notioni respondeat. Sed si nulla imago animo sese repraesentat, i. e. si ne notio quidem in animum pervenit, sensus eo ne excitari quidem potest. Rei enim afficientis imago semper sensus affectionem antecedit, neque ullum hominem fuisse crediderim, in cuius animo Dei notio non fuerit, antequam se per Deum peculiari ratione affici et excitari perciperet. Quodsi alicujus rei notionem habemus atque ratio, utrum illa res sit nec ne, nescit, sensus quidem potest excitari, neque vero demonstrare, illam rem vere adesse; quisque enim intelligit, sensum rebus quibusdam affici posse, quas tanquam fictas ratio rejiciat. Si igitur phantasia idem eodem modo, quo veritas proferre potest, in sensus affectione veritatis demonstratio inest nulla.

Tertiam ad quaestionem transeamus, num, si ratio doceat, aliquid vere exstare neque vero de ejus natura notitiam perfectam habeat, sensus de hac materia nos certiores facere valeat? Res tantum ad religionem attinentes propter brevitatem spectabimus. Optime temporibus recentioribus philosophus doctissimus et illustrissimus dogmaticorum audaciam fregisse videtur, qui rationis theoreticae penni sese in mundum invisibilem levare posse putabant, neque meditabantur, illam et temporis et spatii legibus esse subjectam. Quodsi ne hujus mundi quidem res cognoscimus, quamvis nobis appareant, quomodo ea,

quae sensibus haud obnoxia sunt, intelligamus? Profecto quisque vir sapiens ac modestus, nos naturam divinam neque cognoscere neque cognoscere valere, cognitionemque, quam ita nominamus, symbolicam tantum esse, i. e. rerum finitarum comparatione cum Dei essentia infinita niti, ita tamen, ut solummodo, quid Deus non sit, nec quid ille sit, dicere sciamus, concedet. Quodsi naturam infinitam animo nobis conformamus, quasi vertigine corripiamur atque sensus hac cogitatione fortissime excitetur necesse est. Idea haec enim et obscura et plurimum aliarum quoque est fons idearum, quae et ipsae sunt obscurae et sensui sedem praebent. Quibus intelligi potest, sensum ad Deum divinasque res explicandas, nihil valere. Nam si nostra naturae infinitae notio tantum est symbolica, neque, ut dicunt logici, adaequata, caeterae quoque ideae, quae illa notione generali nituntur et sensum excitant, symbolicae modo esse possunt. Patet igitur, nos sensu ejusdem cognitionem adipisci nequaquam valere, si ratio alicujus rei essentiam non noverit.

Ad quaestionem quartam, quidnam auctoritatis sensui sit tribuendum, si ratio doctrinam aliquam non satis certam ducat, haec respondebimus. Quod sensus aliqua re incerta quoque affici potest, nemo, qui memor est, eundem adeo ficta aliqua re permoveri posse, mirabitur. Sed, etiamsi argumentum nostrum spectamus, in sensu nulla inesse posse videtur auctoritas. Duabus enim ex causis sensus re-

bus dubiis etiam excitatur. Aut phantasia, aliquid haud dubium esse, sed verum ac compertum, sibi statuit, aut sensus excitatur, quatenus aliquid videtur probabile ac verisimile. Si causa exstat prior, nihil momenti sensui tribuendum est, quod et res ipsa et supra dicta docent. Quod ad causam posteriorem attinet, notiones cum illa re conjunctae earumque fons etiam probabiles ac verisimiles modo esse possunt. Qua de causa si sensus ejusmodi notionibus afficitur, incertis ex incerta re egressis cogitationibus excitatur. Sensus quidem aliqua re, quam neque ratio certam ducit neque phantasia veram sibi proponit, ita permoveri potest, ut haud fortius, si illam rem ratio quoque certam haberet, permoveri possit; at quisque animum in sese attente convertens facile intelliget, se non alicujus rei vere exstantis magnitudine, sed ideae, i. e. rei cogitatae amplitudine excitari. Itaque si nobis inde, quod res aliqua nobis magna esse videtur, concludere licet, rem ipsam veram esse, sequitur, sensu inflammato minime alicujus rei veritatem, sed cogitationis ambitum ostendi. Observandum etiam est, eum qui re dubia incitetur, hanc ipsam rem non aliter, ac si sit probabilis, respicere; si eam modo contrario spectaret, atque phantasiam coërceret, non incitaretur, quia res ei falsa appareret. Quodsi vero incitaretur, motus ex idea non e veritate proficisceretur. Qui igitur existimat, sensus auctoritate rem dubiam veram habendam esse, eum errorem, qui

principii petitio appellatur, committit. Priusquam sensus re aliqua tanquam vera excitatur, ratio hanc eo modo respiciat oportet, ac si vera esse videatur; sed eodem jure ipsa modo contrario perlustrari posset. Si ergo sensus auctoritas tanta esset, sequeretur, alicujus rei veritatem e casu atque ex arbitrio ejus pendere, qui illam rem hoc, quam illo modo adspicere malit.

Quaestionem ultimam, num sensus rationi auxilio venire possit ac debeat, si haec doctrinam aliquam penitus cognoverit, de ejusque veritate sibi persuaserit, explicationem non postulare putamus. Nam si quid ratio cognovit, deque eo sibi persuasit, causa nulla inveniri potest, cur eadem locum relinquat, ac sensus hoc potiat, quum ejus natura notionibus obscuris nitatur atque rationis natura e cogitationibus constet distinctis.

Quibus dictis nos explicasse existimamus, si Deus atque res divinae per se considerentur, sensum ad hanc quaestionem nihil valere, totam autem scientiam nostram rerum sensibus haud obnoxiarum, si quid ejusmodi sciamus, vel rationis humanae auctoritate vel sacra scriptura niti. Quum vero de Deo rebusque divinis ita locuti simus, quasi ad nos haud referantur, fortasse, quibus haud constanter factum videatur, quia saepius sensus verbo usi sumus, reperiuntur; tanquam si sensus aliqua re excitari posset, quae nos non attingeret. Quam vituperationem refellere vix opus est. Quem enim

non movet Homeri Andromache sive Euripidis Hecuba atque quisnam est adeo ferreus, qui earum miseriis ac moerore non afficiatur. Contra haec moneri posset, haec carmina ab humanitate haud aliena esse; sed respondemus, quemlibet etiam coelo stellato sive solis orientis aspectu, seu montium altitudine seu maris saevi conspectu gravissime permoveri atque affici? Tamen inter nos atque haeres nulla relatio est propior, nisi conspectus et conformatio in animo.

Secundam ad partem hujus disquisitionis transeamus, quam practicam appellamus, i. e. Deum atque res sensibus non subjectas tanquam nobiscum conjunctas et nos attingentes consideremus. Hic de ea inter naturam divinam ac genus humanum ratione, quae religio nominatur, dicendum est, atque, num unquam sensus in iis, quae ad religionem pertineant, rationis locum obtinere et implere possit ac debeat, decernendum est.

Antea vero est monendum, quum in prima hujus disputationis parte rationem cum scriptura s. conjunxerimus, quia nulla earum separandarum causa erat, nos in hac practica de his religionis fontibus singulis separatim acturos esse. Cum vero, si utramque partem tractaremus, dissertationis limites excederemus et praecipue disquisitio de sensus auctoritate et ratione ad religionem in scriptura sacra revelatam magni momenti atque ut res nunc sese habent, litterarum respectu maximi ambitus sit,

hanc secundam partem non expositam relinquere ejusque expositionem in aliud tempus differre debemus.

Hoc loco igitur tantum videbimus, quanta sensus in iis rebus, quae ad religionem naturalem sive rationalem (ut dicunt) attinent, sit auctoritas. Si causam, i. e. religionis originem investigamus, non proponimus quaestionem, sicuti nonnulli fecerunt, e quo fonte homines principio naturae divinae notionem hauserint, aut quibus argumentis ad credendum, Deum vel Deos esse, adducti sint. Certe concedimus, fidem illam, naturam aliquam divinam esse, cum religione ita intime conjunctam esse, ut altera ab altera separari non possit; tamen demonstrandum est, cujusmodi sit illa conjunctio. Nam si homines rationis auctoritate aut alio quodam argumento sibi persuaserunt, naturam aliquam divinam esse, inde haud sequitur, hanc naturam cultu religioso esse celebrandam. Aliud est credere, esse Deum, aliud sibi persuasisse, eam inter Deum genusque humanum constare conditionem, in qua religio sit posita. Quae partes quidem, ut diximus, quam intime inter se conjunctae sunt, attamen contendendi posse putamus, easdem diversis ex fontibus et causis oriri posse; quin omnino diversae fuisse videntur. Quaecumque tandem via ratio rudes populos ad Deos statuendos adduxit, sive cum Cicero dicimus, (cf. Cic. Nat. Deor. II. 5) quatuor de causis in animis hominum informatas esse Deorum notiones, sive de pluribus, tamen non possumus cre-

dere, hanc ipsam rationem eos docuisse theologian. aliquam naturalem adeo in animi conformationibus positam, ut inde religionis necessitas syllogismo acuto demonstrari potuerit. Interea hoc amplius inquirere nolumus; minime enim, quidnam sensus ad religionem efficiendam olim valuerit, sed quatenam ejus vis esse possit ac debeat, quaeritur. Res non postulat, ut distinctius ac subtilius, quam factum est, quid sit religio, explicemus; alii enim hanc, alii illam proferunt definitionem. Hoc unum vero idemque omnes sentiunt, religionis fundamentum esse conditionem mutuam inter Deum genusque humanum. Neque naturae divinae notio et generis humani notio per se consideratae ad religionem homines adducunt, sed haec ex utriusque notionis conjunctione profiscitur. Generalem autem verbi conditionis notionem tenemus, neque de eo, utrum ea pertineat ad hominis naturam physicam an ad moralem, certabimus. Id tantum investigamus, utrum rationi an sensui attribuendum sit, quod illam conditionem vere constare putemus.

Haec quaestio jam, num ratio docere valeat, hanc conditionem esse posse, talis est, ut eam tantum ex notione de Deo nobis informata solvere possimus. Si ex more Homérico naturam divinam humanam metimur, atque ad divinitatem, quae sunt generis humani, transferimus, nihil impedit, quominus Deos nobiscum naves conscendere, in curribus sedere etc. existimemus. Sin vero nobis notionem

mente fingimus, quae natura et sublimitate divina digna est, equidem haud intelligo, quomodo ratio pro certo, illam conditionem vere exstare posse, exponat. Nam priusquam demonstrare valeamus, fieri posse, ut res aliqua sit, notionem illius rei aliquam in animis nostris insitam habeamus necesse est. — Sed fortasse haec disquisitio inutilis esse videtur. Si enim ratio illam conditionem vere esse docet, dubitari nequit, quin eadem esse possit. Potestne vero ratio ipsa hoc probare? Illam conditionem ad naturae humanae partem sive physicam sive moralem refert, neque res sensibus subjecta est, neque ab aliquo cognosci potest. Quam ob rem qui illam inter Deum ac genus humanum conjunctionem vere esse demonstrare vult, hoc a priori facere aut probare debet, illam esse mundi rerumque humanarum causam, quas cognoscere atque explicare non possimus, nisi illam conditionem vere esse statuamus. Qui vero hoc a priori docere vellet, operam perderet. Etenim si hoc e numinis divini ipsius contemplatione demonstrandum esset, probari oporteret, numen divinum esse ejus naturae, ut hac conditione deficiente, divinitatem amitteret, neque Deus esse posset. Ad hanc autem argumentationem accurata numinis divini cognitione opus esset, quae caremus. Porro haec conjunctio Dei cum genere humano aut necessaria esse deberet, ut ipse Deus eam non posset solvere, aut arbitraria, ergo posita in Dei judicio et voluntate. Illa vero Dei libertate

tem i. e. Deum ipsum tollit; haec ob id ipsum, quia arbitraria est, non potest a priori demonstrari. Neque multo melior altera disquisitionis argumentatio est, quae a posteriori vocatur atque instituitur, ut ostendatur, qualis sit rerum humanarum conditio, quas nisi rationem illam Deo cum genere humano intercedere statuamus, nequaquam possimus intelligere et explicare. Nam si ratio illa ad naturam nostram physicam refertur, quid tum in illa inest, quod nobis ostendat, illam non posse esse et constare, nisi sub numinis divini imperio. Porro, etiamsi ponamus, eam esse talem, ut, quomodo existat et se conservare valeat, e naturae conjunctione et constructione nobis cognita intelligi et explicari nequeat: quid est, quod de toto naturae ambitu secundum cognitionem vel ignorantiam nostram iudicemus, et quis est, qui neget, si multo peritiores essemus, rerumque naturam melius perspiceremus, iudicium nostrum in hac re fortasse plane aliud esse posse, quam naturam nostram physicam consistere non posse, nisi acciperemus ac staueremus, quandam actionem divinam illam servantem esse? Aliud est ignorantiam humanam, aliud rem per se non explicabilem demonstrare. Qui vero rationem illam arbitrantur pertinere ad naturam nostram moralem, probare debent, vim ac naturam virtutis non in virtute ipsa inesse, sed in voluntate divina, ita ut, si Deus voluisset, virtutis natura plane alia fuisset, neque ullam esse auctoritatem rationi practicae,

cui obtemperare debeamus, nisi quatenus divina auctoritate nitatur. Ratio practica quidem, ut Deum esse credamus, nos adducit, neque vero quidquam in ea inest, quod nos credere cogat, illam conjunctionem Dei cum genere humano esse, in qua religionis fundamentum nitatur.

Hinc apparere putamus, quamvis persuasio Deum esse necessario religionem efficiat, tamen eandem non immediate ad religionem adducere. Itaque Stoici recte docere videntur, qui, quamquam utrumque rationis auctoritate niti, putant, tamen alterum ab altero disjungunt, aestimantes, utrumque pro se demonstratione separata probandum esse *).

Hoc tantum ostendere voluimus, si quaestio de religione solummodo rationis respectu habito solveretur, inde non prodire principium tam firmum ac perspicuum, cui contradici non posset, ergo dubitationes de hac re motas minime injustas esse. Quantum ratio in utraque quaestione solvenda valeat, hic non dijudicabimus; id tantum profiteamur, fieri posse, ut quis neget, rationem docere, utrum Deus colendus sit nec ne.

Eorum igitur disputatio non est landanda, qui docturi religionem natura hominibus insitam esse,

*) Cf. Cicero. Not. Deor. II. 1. „Omnino dividunt nostri (Stoici) totam istam de diis immortalibus quaestionem in partes quatuor. Primum docent esse deos; deinde quales sint; tum, mundum ab iis administrari; postremo, consulere eos rebus humanis.“

et hoc fundamento niti, ita agunt, ut nullum populum esse adeo ferocem ac rndem dicant, qui non praesagiat superiorem aliquam naturam. Hoc ipsum vero haud accurate statuunt, religionem, i. e. ex illorum sententia persuasionem esse Deum, natura humana niti. Judicant enim, quod verba ipsa significant, hanc persuasionem nulli ratiocinationi esse subjectam. Quo quidem modo recte docent, praeterquam quod illam persuasionem cum religione commutant. Qui vero arbitrantur, utrumque unum idemque valere, plerumque definiunt, rationis humanae indolem talem esse, ut ab hujus mundi consideratione facile ac sua sponte ad cogitationem de ejus causa sese evehat. Recte quidem; tum vero, quod illi contendunt, persuasionem, esse numen divinum, omni ratiocinatione prius exstitisse, tollitur. Illa enim cogitatio rationis conclusione nititur, mundum sine auctore esse non posse, quia nihil esse possit, nisi causa, cur sit, exstet. Quod minime, religionem naturae humanae esse propriam, sed potius rationi humanae, indicat. Si vero haec rationis conclusio ad mundum refertur, persuasio numen divinum esse oritur; si ad domum sive picturam, architectus sive pictor requiritur. Itaque cogitatio de numine divino non magis, quam de architecto vel pictore rationi humanae est propria, si exceperis, quod illa magis omnibus mortalibus est communis, quia mundus ubique adest, ab omnibus adspicitur omnesque attingit.

Si res ita se habent, contendimus, religionem in pectore humano insculptam esse; nullo vero modo concedere possumus, aut cognitionem, Deum esse, atque religionem plane unum idemque exprimere, aut utramque ex uuo eodemque fonte manare, aut si persuasio, Deum esse, religio vocanda sit, hoc sensu religionem naturae humanae ita propriam esse, ut prius quam omnis rationis conclusio exstiterit. Credimus igitur, dicentes religionem natura humana contineri, aliquid ratiocinationibus non subjectum in hominum animis versari, quod, simulac ratio, esse Deum, cognoverit, nobis de illa inter Deum hominesque conditione persuadeat, atque omnium religionum fundamentum exhibeat. Illud aliquid vocatur sensus religiosus; quod verbum generali significatione adbibemus, dicentes, sensum esse observationem ejus conditionis seu status, in quo id, quod philosophice nostrum ego dicere solemus, in praesenti versetur. Quam definitionem sequentes denuo interrogamus, quid sensus, i. e. nostri ipsorum observatio valeat? quaequam auctoritas ei tribuenda sit? Illa autem observatio nequaquam per se, sed id, quod observatur, illa conditio sive ille animi status, aliquid efficere potest. Haec conditio sive hic status cum a notionibus, quibus animus afficitur, pendeat, facile intelligimus, illi quaestioni nullam aliam inesse interrogationem, nisi hanc, quid illae notiones in dijudicanda veritate ac falsitate efficere possint. Haud secus sensus

religiōsus quoque sese habet; nos enim pio modo affectos esse, comprehendimus. Si igitur quaeritur, quid sensus religiosus efficere possit, haec inest sententia, quamnam illa affectionis religiosae observatio vim habeat? Cum vero illam affectionem sicuti quemque alium sensum a notionibus pendere oporteat, quibus illa consistat atque composita sit, potest hoc quoque quaeri: quam auctoritatem hae notionēs habeant, quodque pretium iis sit adscribendum.

Sensum quidem religiosum naturae humanae proprium esse, non magis potest probari, quam in nobis sensum moralem aut rationem practicam inesse. Sicuti in rerum natura est aliquid ultimum ac supremum, nulli demonstrationi subjectum, ita in animo humano multa sita sunt, quae conscientia tantum cognosci neque argumentis doceri possunt. Itaque si qui negent, sese sensu religioso praeditos esse, cum iis neque possumus certare, nec certabimus. Haec vero cogitent, multum interesse, utrum sensus religiosus omnino desit, an aliis rebus oneretur et opprimatur, quae fortius, quam notionēs pieae, animum afficiant. Nam aliud est, si ille sensus sit hebes et obtusus, aliud, si plane desit. Porro si quis dicat, sensum religiosum sibi deesse, bene consideret, num his verbis, se, nullum Deum esse, putare exprimat. Sic saltem plerumque intelligi solet, si quis religionem contemnere dicitur; neque negamus semper homines fuisse et fortasse hodieque esse, quos religioso sensu destitutos esse, vere dicere

possimus. Sed his ex dictis liquet quaeri, num quis, esse Deum, existimans sensu religioso orbatu esse possit, i. e. num sibi persuadere valeat, conditionem inter Deum et se ipsum esse nullam. Negamus quidem talem hominem inveniri aut unquam esse inventum; si quis se ipsum exempli loco opponat, cum eo certare nequimus. Credentes vero talem hominem neque esse neque fuisse, in eo argumentum grave reperimus, quod nondum ullus populus inventus est, qui non statim, simulac, numen divinum esse, sibi persuaserit, idem cultu pio venerandum esse putaverit. At si verum est, illam persuasionem et religionem magnopere differre, interrogamus, unde gentes feroces cogitationem conditionis, quae sit inter Deum genusque humanum, quaque tota religio nitatur, hauserint. Dici enim nequit, illam cogitationem e beneficiis generi humano a Diis immortalibus praebitis esse profectam, Cicero saltem tempore suo philosophos fuisse docet existimantes, Deos in res humanas nullam curam conferre. Quorum sententia, si vera sit, quonam modo pietas, sanctitas, religio esse possit? *) — Num Cicero hoc modo illorum philosophorum sententiam oppugnare potuisset, nisi Deos, quamvis rebus humanis non consulentes, tamen religiose colendos esse putassent? Cicero ipse dicit, Epicurum docentem Deos nihil efficere et soluto ac quieto esse animo, nihilominus libros de sanctitate, pietate

*) Cf. Cicer. Nat. Deor. I. 2.

atque veneratione Deorum merita debitaque scripsisse atque in his scriptis ita loqui, ut pontifices maximos, Coruncanium vel Scaevolam, sermonem facere credas. Atque orator ille jure suo firmasse videtur, Epicurum, Deos res humanas curare negantem, aras diruisse omneque religionis fundamentum pervertisse; attamen inde liquet, quantum virtutum in natura humana insit, quae tum etiam credat sese cum Deo conjunctam esse, quum se ipsam a Deo neglectam ducat. Quo etiam plane demonstratur, aliquid pectori humano inesse, quod fortiter ad religionem trahat, nec tam beneficiis divinis vel alio modo gignatur, quam potius sua sponte exurgat atque Dei desiderio teneatur.

Nunc nobis videndum est, num quando ille sensus religiosus in iis, quae ad religionem pertinent, rationis vicibus fungi possit ac debeat. Omnes gentes in eo conveniunt, si numen divinum sit, id esse venerandum; sed de venerationis ipsius modo inter se dissentiunt. Haud difficile cognitu est, unde haec discordia orta sit. Nam sicut quisque Dei naturam in animo et cogitatione conformat, ita aliam venerandi viam Deo ipsi alia gratiorem esse putat. Quam ob rem, quamvis apud singulas gentes causae quaedam peculiares ac fortuitae varietates plures efficere possint, in universum verissime dicere licet, quaecunque diversitates sint in singulorum populorum cultu numinis divini, eas aut unice aut praecipue e diversitate opinionum de natura summa pendere.

Omnino autem aliud quaeritur, unde ille consensus omnium gentium admirandus, Deum esse prorsus colendum, sit profectus. Qui populorum consensus minime per conclusionem quandam et e natura divina ipsa derivatus esse videtur. Primum enim, ut diximus, si numen aliquod divinum esse accipimus atque concedimus, haud statim cum hac sententia venerationis ejusdem vera ac justa est conjuncta. Haud negamus, numine summo agnito religionem protinus existere, sed negamus, sensum religiosum primo e cognitione naturae divinae perfecta proficisci atque probari posse. Deinde Epicuri exemplum supra dictum docet, etiamsi quis Deos immortales hominum saluti non consulere putet, tamen naturam humanam ultro ad eos venerandos permoveri. Denique si ille sensus religiosus, illa animi propensio ad Deum colendum, probatione a natura divina derivata niteretur, hujus probationis conscii essemus, atque notiones, quibus sensus religiosus constaret, disjungere ac distinguere possemus. Unde liquet, religionem nobis propriam esse atque innatam; hoc vero ita intelligimus, ut aliquid in nobis insit, quod nos de conjunctione cum Deo admoneat; illa divinatio autem est conscientia religionis intima summaque, nulli rationis conclusioni subjecta; cujus vis tanta est, ut eandem omnes, vel inscii et inviti, percipiamus.

Sunt igitur in animo nostro notiones, quae sensum religiosum afficiunt; unde sint et quomodo in

animum pervenerint, explicari non potest. Si jam quaeritur, quid pretii his notionibus adscribendum sit, respondere ita nequit, ut de harum notionum veritate ac falsitate judicemus. Quarum quum non scimus conscii, perspicue demonstrare non possumus, utrum eae cum ratione congruant, an certent. Si autem verum est, sensum religiosum naturae humanae ita proprium esse, ut ab hoc disjungi nequeat, sequitur, notiones, quibus ille sensus contineatur, eodem modo cum natura humana conjunctas esse. At hoc ipsum, quod vinculo indissolubili et arctissimo cum natura humana conjunctus est, quantum habeat pretii auctoritatisque, quis non videt? Quoniam enim argumento alio sensus moralis, quoniam conscientia, quoniam ratio practica demonstratur, nisi hoc ipso, quod in natura humana insita sunt, atque ab eadem disjungi nequeunt. Si rationis theoreticae judicia in partes singulas dividimus, nonne tum necesse est, ad aliquid ultimum ac supremum perveniamus, quod in nostra natura ipsa sit fundatum, ultra quod progredi non possumus, quod sit supra omnem demonstrationem? Praeterea quoque magna auctoritatis pars ex eo proficiscitur, quod ille sensus religiosus omnibus hominibus omnibusque gentibus est communis. Si quis objiciat, omnes homines gentesque errare posse, cogitet tantum, nos nequaquam, communi gentium consensui legis vim esse tribuendam, contendere.

Sed hic non de arbitrio et sententijs loqui-

mur, verum de naturae judicio semper valente. Illae quidem omnes in rationis conclusione errare atque fluctuare possunt, ea autem de re, quae omnem rationis conclusionem antecedit, dicimus. Jam vero quum nobis insitum ac quasi innatum sit, ut censeamus, illam conditionem, qua religio nitatur, inter Deum hominesque vere esse, sequitur, homines quodammodo per se ad religionem adduci atque impelli, i. e. a sacris suis desciscere non posse, nisi naturae vim inferant.

Hoc ergo sensus auctoritate ducti nos concludere posse putamus, sensum illum rationis vicibus fungi posse ac debere, si illa dubitet, nec certo deceat, conditionem illam, in qua religio nitatur, esse inter naturam divinam atque humanam; sive dicere possumus, si ratio dubitet nec certo doceat, nos magis sensus testimonium, quam rationis judicium sequi oportere.

Ratio quidem non pro certo, illam conditionem, de qua loquimur, vere adesse, praecipit, sed sensus eam exstare testatur. Contendimus sensui esse credendum, ratione enim sensus religiosi auctoritas exstingui nequit, nisi religionem cum natura atque rationis legibus pugnare demonstretur. Etenim quum ille sensus in natura humana ipsa positus sit, rationi haud postponendus est, nisi ratio probet, sententiam suam de religione firmiter et altius, quam sensum religiosum, in natura humana esse stabilitam, i. e. fore, ut omnes cogitandi leges, ipsaque ratio

deleantur, si conditio illa inter Deum genusque humanum credenda sit. Sed quo modo ratio hoc confirmare possit? Nemo probare valebit, illam conditionem cum certis aeternisque rationis legibus certare, nisi Dei ipsius naturam atque illius conditionis modum accurate et perfecte cognoverit, quod nemo mortalium potest.

Praeterea sensus religiosus ipse, si illam conditionem piam vere adesse putemus, argumento est, in cogitandi leges nullam vim esse exercendam: ille enim sensus, quamvis omnem rationis conclusionem antecedens, tamen notionibus continetur. Quae notionem cum certis rationis sententiis pugnare non possunt, quia sensus non afficitur, si qua repugnantia reperiatur. Causa, cur sensus tum non afficiatur, in eo posita est, quod notionem inter se pugnantem ne notionem quidem, neque ullius pretii sunt, cum res, quas nobis ne fingere quidem possumus, pretio careant. Vere etiam, si ratio religionem contemneret, omnium populorum propositio ad religionem minime posset intelligi atque explicari. Itaque, si qui negent, se conditione religiosa cum Deo conjunctos esse, eorum sententiam non, sicut illam aliam, ex humana natura ipsa promptam et haustam, sed serius ortam esse videmus. Si opinio illa, nullam esse conjunctionem inter Deum ac genus humanum, naturae humanae non minus propria esset, quam sensus religiosus, nulla esset causa, propter quam omnes gentes huic sensum, quam illam opi-

nionem sequi mallent. Quare opinio illa non ita potest solvi, ut tandem ad simplicissima rationis elementa perveniamus, quae non amplius possint explicari. Attamen requiritur, ut alicujus rei veritas vel falsitas probetur, ita ut tandem tota disquisitio in humana natura persistat, neque ullo argumento novo probari possit. Hoc fundamento, quo opinio opposita indiget, sensus religiosus nititur, quare huic sensui magis, quam illi opinioni obtemperandum esse contendimus, quoniam, si viam contrariam ineamus, naturam humanam ipsam deleri necesse sit. Neque vero hoc ita intelligendum est, ac si quis ratione negare, sensu autem credere possit, conditionem illam inter Deum atque humanum genus exstare, vel ac si, quae ratio rejiciat, sensus auctoritas probare possit; sed dicimus, nisi ratio, quod nunquam potest, demonstret, religionem cum aeternis ipsius legibus pugnare, ipsi nunquam licere vel fas esse, religionem, tanquam commentum sive vanum aliquid, repudiare. Rationi tantummodo fateri licet se nescire, utrum conditio illa inter Deum et genus humanum sit, nec ne. Itaque disquisitio nostra id agit, ut intelligatur, si ratio dubitet nec certo doceat, sensus auctoritati credendum esse, nos vinculo quodam cum Deo conjunctos esse; haec enim sententia sensu religioso in natura humana ipsa posita nititur, quo fundamento opinio contraria caret. Si vero quis credat, dubitationem vel ignorantiam humanam tantum valere posse ac debe-

re, ut res aliqua, quae in dubium vocetur, nec cognoscatur, statim neganda sit, contra hominem ejusmodi vix poterimus certare. Si vero haec arrogantia vel in rebus vulgaribus fugienda est, quanto magis in rebus divinis, quarum magnitudinem animus noster imperfectus comprehendere nequit!

Quum in theoretica hujus disquisitionis parte contenderimus, rationi principatum tribuendum esse, sensum vero nunquam tantum valere posse, ut ex ejus auctoritate, rem aliquam veram aut falsam esse, statuere liceat, nunc vero in practica parte opinionem contrariam sequi sensuique eam auctoritatem, quam supra ei denegavimus, attribuere videamur; fortasse erunt, qui dicant, nos minime nobis constare. Ad quam accusationem refellendam monemus, sensum illum vel phantasia vel aliqua alia causa, cujus consci sumus, excitatum, non statim sensui religioso parem habendum esse, quippe qui non acquisitus sit a nobis, sed datus, humanaeque naturae adeo proprius, ut ab ea separari nequeat. Porro concedimus, neque sensum religiosum posse docere, illam conditionem vere exstare inter Deum et genus humanum, neque sensum in universum, quae ad mundum sensibus non subjectum pertineant. Bene de nobis actum esse credimus, quod in natura humana aliquid insit, quod tanquam cogitandi agendique normam sequamur. Neque ad cogitandi agendique modum statuendum necesse est, ciamus, hanc normam positivam et veram esse, jam

id sufficit, quod in nobis est sensus religiosus, qui nos impellat, ut ita cogitemus et agamus, tamquam illam normam certissimam esse sciremus. Itaque patere nobis videtur, hanc disquisitionis partem minime cum priore pugnare. In illa enim parte proposita est quaestio, num sensus, quid sit, possit docere; quod negavimus; in hac vero, num sensus, quid sit credendum, possit docere, sive num sensus cogitandi agendique normam nobis praebere valeat, quod affirmamus. Atque inde etiam luculentius apparet, cur contendi posse crediderimus, sensum rationis locum occupare debere, si haec dubitet, num conditio illa inter Deum ac genus humanum exstet, nec ne.

Si ratio aliqua ex causa jam in hanc partem jam in illam inclinat, sive nullum cogitandi agendique modum nobis praecipit, aut quamquam hoc facit, tamen ex arbitrio suo tantum agit, ita ut nulla sit causa, cur alium modum alii praeferat, sensus id, quod in ratione desideratur, nobis praestat et exhibet.

Quum igitur haec sensus auctoritas in omnibus religionis naturalis seu rationalis finibus versetur, quae hac religione continentur, i. e. ejus sententias singulas afferre non opus est. His enim ex dictis facile ratiocinando demonstratur, quantum sensus in judicio ferendo de religionis argumento valere possit atque debeat. Simulac nobis persuasimus, nos cum Deo nexu illo religioso esse conjunctos, huic

persuasioni eae quoque notiones addendae sunt, quae ita necessario ad religionem pertinent, ut, iis sublatis, religio ipsa tollatur. Etenim si conjunctionem illam religiosam cogitemus, etiam, esse Deum, qui veneratione dignus sit, statuamus necesse est. Quae veneratio ipsa Dei natura, vitae efficacitate, rerum humanarum cura nititur. Quomodo enim, Deum pio animo colendum esse, probare possumus, nisi, quid Deus sit, quid faciat, quid ex eo hominum in vitam transeat, mente percipiamus. Quum ea, quae religione naturali continentur, his ideis nitantur, liquet, iudicio de his eandem sensus auctoritatem, quam ei de religionis summa exponentes tribuimus, esse adscribendam.

T h e s e s.

- I. Non est philosophiae objectum praeter hominem; etenim, si esset, philosophandi neque initium esset, neque norma, neque finis.
- II. Poena capitalis non est abroganda.
- III. Mysticismus est species Pantheismi.
- IV. Lingua graeca non est mater latinae.

Zur feierlichen Disputation des Herrn Doctor der Philosophie M. C. Posselt pro venia legendi, welche am Mittwoch den 15. Novbr., Vormittags um 11 Uhr, im grossen Hörsaale der Kaiserlichen Universität Statt haben wird, laden ergebenst ein

die Decane und Mitglieder
der philosophischen Facultät.

Dorpat, den 14. November 1833.